

(tit. IV. c. 1. n. 10) amentes absolute a communione movet. (Gasp. de Euch. II. n. 1124) Deinde experientia constat aegre dignosci posse num plene amentes reverenter Eucharistiam recepturi sint. Quare in praxi plerumque praestabit abstinere, ne sacramentum periculo irreverentiae exponatur.

3<sup>o</sup> De semi-fatuis, quibus accensendi sunt senes repuerascentes, disputant Theologi. Dum plerique volunt (S. Alph. n. 303) ut iis communio concedatur tantum in articulo mortis et in Paschate, quidam, ut Leander et Sanchez, eam concedunt totiens quotiens postulaverint. Opinamur confessario committendum ut illis crebrius vel rarius communionem concedat pro gradu discretionis, devotionis, desiderii, etc. Nam, deficiente certa lege, non est quod scrupulose procedatur in re quae certè illis profutura est.

4<sup>o</sup> Non est ministranda S. Eucharistia, etiam in Viaticum, iis neophytis qui baptizati quidem sunt, sed " non discernunt cibum spiritualem a corporali, cognoscendo et credendo in S. Hostia praesentiam Christi Dñi „. (S. Inqu. 10 Apr. 1861; Coll. P. F. n. 734) Sed non est deneganda, saltem in articulo mortis, iis adultis qui, toto vitae tempore, minorem discretionem habituri sunt quam pueri nostrates, quales sunt plurimi Africani, dummodo absolute capaces sint. (Lugo, disp. 13. sect. 5)

5<sup>o</sup> Surdo-mutis communionem dare licet pro gradu discretionis qui in ipsis e signis dignoscitur.

**191. III.** A sacramento Eucharistiae, propter excellentem ejus dignitatem, arcendum est quodvis probabile irreverentiae, etiam materialis, periculum. Ideo :

1<sup>o</sup> Non licet communionem dare aegris, qui jugi vomitu laborant. Quodsi aliqua remissio in vomitu contigit, consulendus est medicus, si fieri potest : nam ipse solus, agnita vomitus causa (quae est omnino varia apud varios aegrotos), dijudicare potest num illud intervallum sufficiat ad existimandum omne serium periculum jam esse remotum. Nihil autem cogit semper exspectare donec a sex saltem horis vomitus cessaverit, ut vult Bus. (ap. S. Alph. n. 292) Cfr. Capellm. Med. Past. p. 118 seqq.)

2<sup>o</sup> Non licet dare communionem aegro qui, ob assiduam tussim, in periculo probabili versatur ne S. Hostiam in stomachum demittere possit : quod periculum rarissimum est. Ubi vero semel deglutita est, non est timendum ne cum sputis expellatur : siquidem haec ex arteria aspera, non ex aesophago emittuntur. (S. Alph. l. c.)

3<sup>o</sup> Obsessis et epilepticis dare communionem licet, dummodo non versentur in statu qui proximum irreverentiae periculum inducat. (S. Alph. n. 303).

4<sup>o</sup> Iis qui in actu peccati sensibus destituuntur vel post vitam scandalosam subito in mortis periculum incidunt, non est danda S. Eucharistia, antequam signum satis certum poenitentiae dederint. Id enim postulat eminens hujus sacramenti dignitas, etiamsi, propter signum valde dubium vel tenuissimam contritionis probabilitatem, iisdem dari potuit absolutio condicionata vel extrema unctio. (Lugó, disp. 13. n. 65)

## § 2. QUAE NAM DISPOSITIONES ANIMAE REQUIRANTUR.

### Punctum I. Dispositiones pro qualibet communione.

**192. I.** Praeter obligationem status gratiae, quae Eucharistiae cum reliquis sacramentis vivorum communis est (n. 128), datur et alia, hujus sacramenti propria : nempe, ut qui in peccato mortali fuerit, sub gravi teneatur sacramentalem confessionem S. Eucharistiae percipiendae praemittere, nisi ipsi desit copia confessarii et simul urgeat celebrandi vel communicandi necessitas. Hanc legem his verbis exprimit Trid. (Sess. 13. c. 7) : " Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus praeceptum : *Probet seipsum homo* (1. Cor. XI, 28). Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse; ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad S. Eucharistiam accedere debeat. Quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec S. Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris : quodsi, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. „ Cfr. can. 11.

Hanc legem juris divini esse, ab Apostolo promulgati, putant plerique (ut S. Alph. n. 256) ; quidam (ut Ball. P. n. 130), et forsitan rectius, juris ecclesiastici tantum, eo quod nihil amplius demonstratur. Necessitas enim confessionis certe probari nequit ex ipsis verbis Apostoli qui minime determinat utrum per solam contritionem an per actuale confessionem recuperandus sit status gratiae antequam Eucharistia suscipiatur. Neque ex loco Tridentini idem efficitur. Etenim ex Historia hujus Concilii a Card. Pallavicini (l. 12. c. 2) et Actis ejusdem Concilii a Theiner editis (t. I. p. 488 seqq.) constat multos episcopos ac Theologos, qui eidem interfuerint, in ea fuisse sententia : necessitatem confessionis communioni praemittendae ab Ecclesia inductam fuisse et omnino servandam esse tantum ne multiplicarentur malae communionis si cujusque fidelis conscientiae relinqueretur cura examinandi num, patrato peccato mortali, perfectam contritionem assecutus

esset. Alia autem propositionem Lutheri, quae necessitatem illam, praesertim pro doctis negabat, tamquam scandalosam, minime vero tamquam haeticam damnandam esse censebant, ut praefatae sententiae parceretur. Nihil vero in Actis hujus Concilii indicat Patres ab hac moderatione deflexisse. Verbis autem a Concilio probatis plene satisfi si admittitur, ecclesiastica consuetudine, quam inviolabiliter servari voluere Patres, inductum esse ut probatio quam S. Paulus requirit, fiat in sacramentali confessione, communioni praemittenda. Immo legem ecclesiasticam potius quam juris divini declarationem designat verbum *statuit* quod in can. 11 adjicitur: "Statuit atque declarat ipsa s. Synodus...". Tandem in hac sententia multo commodius explicatur quare plures Patres, ubi peccatores hortantur ad conscientiam purificandam antequam communicent, non commemorent explicite confessionem praeviam.

II. Probabilius illa obligatione jam non tenetur qui, post confessionem cum universali contritione institutam, recordatur peccati mortalis quod inculpabiliter accusare omisit. (S. Alph. n. 257; Ball P. n. 122) Is enim jam assecutus est justificationem ope confessionis, quamvis indirecte, ac proinde praemisit communioni eam probationem quam Trid. (l. c.) necessariam esse edixit. Hinc fidelibus consuli potest ut, in hoc casu ad confessionem redeant vel actum contritionis eliciant, sed simul declaretur abesse strictam obligationem. De casu quo quis dubitat num peccatum letale commiserit vel confessus sit, cfr. nn. 131 et 291.

193. III. *Necessitas*, ob quam liceat ex Trid. (l. c.) celebrare vel communicare, non praemissa confessione, debet esse *gravis* seu *urgens*, qualis censetur (S. Alph. n. 259 seqq.):

1° Si sacerdos debeat consecrare hostiam pro moribundo.

2° Si sacrificium vel communio nequeat omitti sine gravi infamia vel scandalo, puta si sacerdos jamjam celebraturus nequeat sine periculo infamiae recedere et confessarium quaerere; si laicus jam scamno communionis assideat, etc.

3° Si parochus aliusve ex officio celebrare debet, ut populus Sacrum audiat. Quodsi libere celebraturus est, ex. gr. infra hebdomadam, videndum tamen num talia sint adjuncta ut sine gravi infamia vel scandalo Sacrum omittere nequeat.

4° Si in ipsa Missae celebratione peccatum mortale committit, vel ante commissum recordatur: nam vix umquam poterit, absque periculo gravis infamiae, Missam abrumpere ad confitendum. Immo, si id contingeret peracta jam consecratione, teneretur ad prosequendum, elicitu actu contritionis. (Ball. P. n. 131)

IV. Altera conditio quae exigitur a Trid. (l. c.) ut quis ab hac lege immunis sit, nempe ut *desit copia confessarii*, verificatur:

1° Si nullus confessarius adest in loco quo celebrandum est, absens vero adiri nequit sine magna difficultate. Quanta distantia requiratur, prudenti arbitrio definiendum est; simul attendendum num difficultas crescat e brevi tempore quod ante celebrationem remaneat, e debilitate celebrantis, etc.

2° Si is qui adest sacerdos confessionem audire renuit vel nequit, ob carentiam jurisdictionis, ob ignoratum idioma poenitentis, ob censuram.

3° Si ei qui adest confiteri nequis sine gravi damno alieno, puta quia peccatum confiteri nequis quin confessarius intellegat cum quam persona peccaveris. Cfr. n. 295.

4° Si eidem confiteri nequis sine gravi damno tuo, puta quia probabiliter dubitatur de illius fidelitate in sigillo servando. Cfr. n. 294. Certe non sufficit abesse confessarium tuum ordinarium, vel alium cui confiteri malles. Attamen satis probabilem opinamur quorundam AA. sententiam: excusare verecundiam extraordinariam et vere invincibilem, puta si patruus apud nepotem peccatum valde probrosum confiteri deberet. Ita Berardi (Prax. Conf. n. 3483) et aliquatenus Gousset (Th. Mor. II. n. 193) et Kenrick. (Th. Mor. de Euch. p. 1. c. 4. § 2) Ratio est: in talibus casibus confessionem instituere difficillimum esse ob ingentem repugnantiam vincendam. Nam, teste S. Thoma (Suppl. q. 8. a. 4. ad 6): "Multi sunt adeo infirmi quod potius sine confessione morerentur quam tali sacerdoti confiterentur." Neque videtur hoc incommodum intrinsecum confessioni. Huic enim reapse intrinseca est amissio famae apud confessarium, nequaquam vero difficultas orta ex eo quod quis hic et nunc nullum alium habeat confessarium praeter hunc quem, justas ob causas, summopere horret. Vel, etiamsi cui videatur intrinseca, non apparet quare in lege probabiliter mere ecclesiastica (n. 192, I) et in qua AA. excusationes admittunt ob causam non ita gravem, puta unius alteriusve leucae distantiam (S. Alph. n. 264), non possit per epikeiam excipi casus humanae infirmitati durissimus. De eo qui incidit in casum reservatum, neque alium habet confessarium quam carentem facultate absolvendi a reservatis, cfr. n. 347.

194. V. Datur quoque *gravis obligatio solis sacerdotibus propria*, et certe juris tantum ecclesiastici, confitendi quamprimum, si quando, necessitate urgente, absque praevia confessione, celebraverint. Cfr. Trid. l. c. (n. 192) Huic legi elucidandae sufficient haec pauca:

1° Vox illa *quamprimum* intellegenda est moraliter, ut fit in legibus humanis, ac proinde sufficit ut sacerdotes illi intra triduum confiteantur. Quodsi pergat confessarius deesse sensu supra dicto (IV), etiam ultra

triduum expectare licebit. Damnata autem est ab Alex. VII prop. 39<sup>a</sup> :  
 " Illa particula *quamprimum* intellegitur : cum sacerdos suo tempore confitebitur. "

2<sup>o</sup> Etiam durante illo triduo, viget obligatio abstinendi a celebranda Missa, nisi iterum urgeat necessitas celebrandi et desit copia confessarii : quae ambo eodem sensu intellegenda sunt ac supra. (III, IV)

3<sup>o</sup> Lex ista probabiliter non afficit sacerdotem qui celebravit post confessionem in qua inculpabiliter oblitus est peccati mortalis : nequit enim dici celebrasse *consciis peccati* sine praevia confessione. (S. Alph. n. 267 ; cfr. supra n. 192, II) Neque lege afficitur, e sententia communissima, sacerdos qui sacrilege celebravit quia confessionem praeviam omisit, non deficiente copia confessarii, aut quia nulla necessitas ad celebrandum covebat. Ratio est : quod praeceptum Trid. ordinatum est ad metum incutiendum iis qui, praetextu necessitatis, differunt confessionem, non autem sacrilege celebrantibus, quibus praeceptum hoc valde raro esset profuturum : illi enim, qui, contempto praecepto divino, audent scienter in peccato celebrare, facilius ecclesiasticum contemnent praeceptum.

**VI.** Peccatum veniale mere praeteritum nullatenus impedit fructum S. Communionis, cujus etiam effectus proprius est venialia delere. Si vero comitatur actu ipsam receptionem S. Eucharistiae, ex. gr. voluntaria distractio, propositum remanendi in consuetudine venialiter mala, etc., non impedit quidem totaliter, sed minuit fructus sacramenti : isti enim minores sunt, si minus perfecta est dispositio recipientis. Insuper qui cum peccato veniali actuali communicat, leviter peccat contra religionem, ob positivam irreverentiam sacramento irrogatam. (S. Alph. n. 270 ; Ball. P. n. 119 seqq.)

#### Punctum II. Dispositiones pro communione frequenti.

**195. I.** Communio frequens, seu etiam cotidiana, *in se inspecta* perfectior est quam rarior Eucharistiae usus, sed, ut *pro fidei quodam determinato* sit medium aptius ad spirituale profectum, necessariae sunt, praeter statum gratiae, quaedam perfectiores dispositiones quae in multis fidelibus desiderantur. Id constat praecipue e decreto S. C. C. (12 Febr. 1679), ab Innoc. XI approbato (Denz. n. 1086), in quo pluries tamquam norma confessariis sequenda proponitur : speciales dispositiones, praeter statum gratiae, requiri ut fideles ad frequentem communionem admittantur. Nempe : " Det operam (episcopus) ut unusquisque digne, pro devotionis et praeparationis modo, rarius aut crebrius Domi-

nici corporis suavitatem degustet. " Et qui ad frequentem communionem excitantur, jubendi sunt, " si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere seque ad majorem praeparationem accingere. " Eadem est doctrina S. Th. (3. q. 80. a. 10) : " Ex parte sumentis requiritur ut cum magna devotione et reverentia ad hoc sacramentum accedat... Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus cotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit praeparatum. " Consonat S. Bonav. in 4. d. 12. p. 2. a. 2. q. 2.

Ob duplicem rationem speciales illae dispositiones requiruntur : primum, ob utilitatem sumentis qui, si valde imperfectus est, facile ex ipsa frequentia communionis, occasionem sumet eam cum minore cura peragendi, ideoque saepe minorem fructum spirituale obtinebit pluribus communionibus tepidis quam una communione cum majore cura praeparationis et gratiarum actionis peracta (Suar. de Euch. disp. 69. sect. 4) ; deinde, ob summam reverentiam huic sacramento exhibendam : quae non satis servaretur ab homine qui communionem frequentem, vel etiam cotidianam, perageret cum modica praeparatione et gratiarum actione, sive quia ipsius devotio nimis exigua foret ad tantam curam adhibendam, sive quia negotiorum suorum copia ab ea adhibenda prohiberetur. (Lugo, disp. 17. n. 17. seqq.)

Igitur rejicienda doctrina quam quidam antiqui Theol., a Card. de Lugo (disp. cit.) fuse refutati, propugnaverunt et nuper instauravit Frassinetti (Theol. Mor. t. I. dissert. X) : dignos esse communionem cotidianam eos omnes qui in statu gratiae versentur, neque ullam solidam rationem afferri ob quam perfectiores dispositiones requirantur. Nituntur praecipue his argumentis :

1<sup>o</sup> Primis Ecclesiae saeculis fideles omnes, etiam conjugati, solebant cotidie communicare. Horum tamen multi, ut patet ex epistolis S. Pauli et SS. Patrum scriptis, tepidi erant vel etiam in gravia scelera ruebant. — Resp. Libenter concedimus frequentissimum fuisse usum S. Eucharistiae in tribus primis Ecclesiae saeculis. Immo cotidianus fuisse videtur in ecclesia Hierosolymitana, cujus mirabilem fervorem narrant Actus Apost. (Act. II, 42, 46) Pariter e quibusdam testimoniis (Tertul. de Orat. c. 19 ; Cypr. ep. 56) constat consuetudinem viguisse in pluribus ecclesiis, accipiendi cotidie S. Communionem. Huic frequentiae favebat, etiam ubi rarius divina mysteria celebrabantur, consuetudo distribuendi fidelibus sacras species quas secum domum deferebant atque, ubi videbatur, consumebant. Nihilominus nullatenus constat e testimoniis quae allegantur, aut cotidianam communionem fuisse in tota Ecclesia receptam aut nullos e fidelibus umquam ab eadem abstinuisse ob aliud motivum

quam ob gravis peccati conscientiam. Deinde notandum fideles his primis saeculis fuisse, in plerisque locis, paucos inter plures infideles, maximis periculis seductionis et persecutionis obnoxios. Merito igitur Ecclesia potuit eos, in his extraordinariis adjunctis, impellere ad communionem cotidianam, seu quia majore fervore commendabantur, seu quia amplioribus subsidiis egebant. Neque deerant illis temporibus fideles qui interdum abstinerent, ut constat ex. gr. e testimonio Origenis (Hom. 10. in Genes.). Ceterum saeculo IV, ubi totus fere populus in sinum Ecclesiae confluere coepit, usus ille cotidianae communionis desiit vigere in toto coetu fidelium moraliter sumpto et ad pauciores restrictus est, fere sicut hodie contingit. Suppressus quoque est mos Eucharistiae domi suscipiendae: qui solus tantam frequentiam moraliter possibilem reddebat plerisque. Ad usum ergo primorum saeculorum merito provocatur ut refellantur ii qui communionem frequentem vel etiam cotidianam, ad paucissimos eosque valde ferventes et perfectos restringendam esse contendunt. Nihil vero ex eodem concludi potest contra eos qui ad eam dispositiones requirant quae haud ita aegre, cum ordinariis gratiae subsidiis, in multis reperiri queant. (1)

2<sup>o</sup> Quotiescumque S. Eucharistia percipitur ab homine qui est in statu gratiae, quaecumque sint ejus peccata venialia, gratia in eo augetur. Hoc autem gratiae augmentum tantum est beneficium ut prae illo parvi facienda sint omnia incommoda quae plures AA. e cotidiana tepidorum communionem oriri affirmant. — Resp. Falso supponitur augmentum illud gratiae, quod communionem cotidianam obtinetur, necessario majus fore quam quod rariore communionem obtineretur: contrarium enim dicendum videtur in iis hominibus, de quibus solis agimus, quibus ipsa frequentia occasio sit negligendi praeparationem, gratiarum actionem, etc. Insuper ex ipsa ratione agendi Ecclesiae satis patet non esse in praesenti argumento exclusive attendendum ad hoc necessarium gratiae augmentum. Nam, si nihil aliud considerandum foret, Ecclesia non prohibuisset quominus Eucharistia bis eodem die recipiatur, vel ne distribuatur infantibus et etiam pueris qui nequeant cum plena reverentia eandem accipere.

3<sup>o</sup> Trident. (Sess. 22. c. 6) omnibus commendat cotidianam communionem: "Optaret quidem sacrosancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes sacramentalis Eucharistiae perceptione communicarent." — Resp.: "Trid. optat id quod perfectius est: ceterum simul optat in omnibus dispositionem congruam ad istam frequentiam." (Lugo, l. c. n. 41)

(1) Cfr. Corblet, *Hist. du Sacram. de l'Euchar.* I. p. 404; Hoffmann, *Geschichte der Laienkommunion bis zum Tridentinum.* p. 20. seqq.

Ex his patet sapienter ab Innoc. XI (Decr. cit.) juberi parochos et confessarios ut "cum fideles ad SS. Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant."

196. II. Quaedam specialiter notabimus quae confessariis **regulorum instar** esse possint in poenitentibus dirigendis:

1<sup>o</sup> Non censemus ullas speciales dispositiones requiri, praeter statum gratiae, in iis qui singulis tantum hebdomadis ad S. Eucharistiam accedunt. Talis enim communio a Theologis praestantissimis (ut Lugo, Suarez, etc.) nequaquam habetur ut frequens, neque, inspectis communibus hominum moribus, alicui occasio erit minus devote communicandi quam si tantum singulis quindenis vel mensibus accederet. Nihilominus poterit confessarius, in casu raro, poenitentem jubere ut semel aut iterum ab hebdomadaria communionem absterneat, si in Domino judicat id ad spirituales ejus profectum conducere, ex. gr. si puer singulis hebdomadis plura gravia peccata admittit et multis iudiciis prodit se, potius impulsus ab aliis quam propria devotione motus, cum condiscipulis suis singulis sabbatis confiteri.

2<sup>o</sup> Simplicem et practicam regulam tradit S. Thom. (in 4. dist. 12. q. 3. a. 1. ql. 2): "Si aliquis experimentaliter cognosceret, ex cotidiana sumptione, fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis deberet cotidie communicare." Liqueat hic agi de *fervore amoris solidi*, qui se virtutum exercitio, diligentia vitandi peccata, etc. ostendat; similiter de *reverentia voluntaria*, quae se manifestet in cura praeparationis, recessu a voluptatibus mundanis, etc., non autem de sensu devotionis, qui saepe vivacior est in iis qui raro communicant. Amplior determinatio fructuum qui e frequenti communionem percipiendi sunt, relinqui potest confessarii prudentiae: nam, cum tam varia sint hominum ingenia, condiciones, necessitates, nequit dari fusior regula quae non sit ad arbitrium conficta vel multis exceptionibus obnoxia. Atque, ut sapienter advertit S. Bonav. (l. c.), utilitas frequentioris vel rarioris communionis cuilibet tantum experimentaliter innotescet.

3<sup>o</sup> Inspiciat confessarius num sincero profectus spiritualis desiderio ducantur praesertim feminae quae crebro vel cotidie communicare velint. Experientia enim constat eas quandoque duci inani quadam aemulatione, desiderio sensibilis suavitatis quam in communionem experiantur, etc., potius quam solida pietate. Id praesertim cavendum foret si reliqua vita discreparet a majore perfectione quam hujusmodi consuetudo postulat, puta si illae pseudo-devotae theatra et choreas, sine vera necessitate, adeant, libris periculosos aut saltem futilibus tempus terant, linguae vitiis plurimum indulgeant, etc.